



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 31. Congregatio circa decisionum prorogationem, ac securitatis literas  
Protestantibus datas celebrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

Sæcul. XVI. letanus, inquit Vargas in quadam sua  
A.C. 1552. epistola : „ægre admodum a Legato  
„impertrabat, ut a proposito, quo ma-  
„terias in Congregationibus agitatas in  
„proxima Sessione decidi voluit, des-  
„steret quia forte sibi imaginabatur Lega-  
„tus, quod prorogata Sessione Syno-  
„dum penitus dissolvendi viam sibi parare  
„posset ? Nempe Concilium separari,  
„ac Protestantates, qui vel jamjam adve-  
„nerant, vel in itinere erant, ad sua  
„redire percupiebat, ac eo omnia ejus  
„collimabant consilia. Nihilominus,  
ut hæc prorogatio legitime fieret, Cres-  
centius generalem Congregationem ha-  
beri voluit, in qua hoc negotium  
proponeretur, ac pro caussæ meritis  
mature discuteretur.

## §. XXXI.

*Congregatio circa decisionum pro-  
rrogationem, ac securitatis literas  
Protestantibus datas celebrata.*

*Nicol. Psalm.* *Celebrabatur hæc Congregatio die vi-*  
*Pag. 285.* *gesima prima Januarij, ibidemque*  
*Pallav. l. 12.* *c. 15. n. 17.* *unanimi omnium suffragio ad Cæsaribus*  
*preces, atque in gratiam Protestantium*  
*decretum fuit, decisionem articulorum*  
*circa Missæ Sacrificium, & Sacra-  
mentum Ordinis jamjam discussorum esse*  
*differendam: ne vero hæc mora Patri-  
bus*

bus fastidium crearet , quæstiones de Sæcul. XVI.  
Sacramento Matrimonii illis discutien- A. C. 1552.  
dæ committebantur , eo fine , ut Sy-  
nodo finis imponi , atque Episcopi ad  
suas Diœceses libere reverti possent. Po-  
stea agitabatur controversia de fidei  
publicæ literis , quas Protestantes pe-  
tebant. Nec levis erat circa hoc caput  
utrinque disceptatio : quippe præter ra-  
tiones jam antea allegatas , Basileen-  
sis conciliabuli nomen Tridentinis Pa-  
tribus omnino erat exosum : Nihilomi-  
nus Cardinalis Tridentinus , necnon  
tres S. R. J. Electores unacum Cæsareis  
Ministris adeo potenter urgebant , ut Pa-  
tres eorum petitis tandem annuerent. Ve-  
rum Petrus Tagliava Panormi in Sici-  
lia Archiepiscopus quamdam proposuit  
difficultatem , quæ novos fuscitabat tu-  
multus : nam petebat , quænam ratio  
habenda sit in excipiendis Protestan-  
tium Deputatis , quisve ordo in seden-  
do tenendus , ac denique , an eisdem  
certa loca sint assignanda , utendumque  
foret verbis honorificis tam erga illos ,  
quam eorum Principes ? „nam nisi , in-  
„quiebat hic Episcopus : Patres hoc  
„faciant , eorum Principes offendentur ,  
„& negotium omne rescindetur , si ve-  
„ro eos honorum , ac benevolentiae si-  
„gnis excipient , manifestos hæreticos  
„honorabunt , illosque nobiliori habe-  
„bunt

Sæcul.XVI. „bunt loco , quam decet haberi rebel-  
A.C.1552. „les , qui errores suos deprecatum ad-  
„veniunt. (\*)

## §. XXXII.

*Numburgici Episcopi sententia de mo-  
do excipiendi Protestantium De-  
putatos.*

*Sarpinus l. 4.  
p. 348.*

Hæ rationes apud plerosque pluri-  
mum valebant: unde declarabant  
Patiens, quod Synodus haud prius con-  
sulto Pontifice , ac Sacro Purpurato-  
rum Collegio hoc in se negotium susci-  
pere non valeat: Verum Julius Pflugius  
Numburgensis Episcopus opportune  
hæc suggerebat : „hoc pacto tem-  
„poris , rerumque necessitas in omni  
„casu legitima foret excusatio violatæ  
„legis , vi cuius cum hæreticis nulla  
„tenus communicare jubemur : eadem  
„præterea quæstio in pluribus Imperii  
„comitiis antea fuit jamjam agitata,  
„semper tamen pronuntiatum est, quod

(\*) Perperam Continuator hanc in rem  
Psalmæum , & Pallavicinum allegat , cum  
hæc omnia pro more suo ex maledici Sarpis  
historia ad Verbum deprompsferit , nilque de  
suo addiderit , nisi quod linqua adhuc magis  
virulenta venenum a Sarpio crudius propina-  
tum evomuerit.